N. C!
RENZE
033
25

1033. 25

XXXII
BALD!
,1613

7.

XXXII
BALDI

1033.20

ORATIO HABITA IN CIVITATE PARMAE

A1

A Reuer. Sac. Theologiæ Magiſtro Innocentio Baldo de Bononia, Carmelitano Congregationis Mantuanæ, Doct. Bon. collegiato.

POST COMITIA GENERALIA eiuſdem Congregationis.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

PARMAE. Typis Eraſmi Viothi. M. D. LXXXVII.

Ex licentia Superiorum.

1033. 25

SERENISS. PRINCIPI RAINVTIO FARNESIO

Parmæ, & Placentiæ Principi, & Domino ſuo Colendiſſimo.

FRATER INNOCENTIVS Baldus de Bononia humilis ſeruus. S. P. D.

OMNIBVS rebus Sereniſſime Princeps, quæ à natura, vel vt rectius loquar, à Deo auctore naturæ proficiſcuntur, hoc præcipuè inditum eſſe conſtat, vt à quo emanarunt principio, ad idem poſtremum ſuum motum, vel curſum terminent, circuliq; girum, vt dicebat Proculus ille Platonicus efficiant, à Deo incipientia, & in ipſum deſinentia. Hinc & operationes quæ arte, & ingenijs hominum fiunt, hunc eundem ordinem, & girum præſe ferre debere, & quodammodò in orbis formam, ſe omnium oculis prębere non crediderim modò, ſed etiam in me ipſo ſum expertus. Mihi enim gratias, & tibi Sereniſſimo Principi, & Reuerendiſſimo Ferdinando Farneſio, huius Ciuitatis tuę Antiſtiti vigilantiſſimo, necnon,

& ciuibus Parmenſibus, nomine totius Religionis Carmelitanæ acturo, quid gratius eſſe potuit? cumque Pontificiæ, Imperatoriæ, & Regię familię, ſi non exprimendi, at ſaltem leuiter adumbrandi, & gloriam, & fęlicitatem, hac occaſione mihi eſſe oblatam copiam iudicauerim. Quod etſi non perfecerim, non voluntatis meæ ſeu orationis vitio, ſed illorum rerum magnitudini adſcribendum eſt, quæ nec cogitatione complecti poſſent, tantum abeſt, vt non dicam ego, ſed quilibet ſummus orator, ea oīa audeat recenſere. Sed ne te negotijs regiminis occupatum diutius quam par ſit teneam, en girus, & orbis orationis meę, Princeps Sereniſſime, illius faciendę principiū pręcipuū fuit Farneſia gloria, illius finem te agnoſcit, in te vno conquieſcit, qui es centrum totius ſplendoris Farneſij, & in quem mundus ipſe ſperat, omnes Farneſiorum heroicas virtutes, collectas fore. Eam igitur accipere digneris ea mentis benignitate, qua, & me eam pronunciantem, non dedignatus es (quæ tua fuit infinita benignitas) audire. Ego autem vt te felicem ſemper conſeruet Deus, eum deprecari nunquam deſiſtam. Parmę Prid. Id. Maij, M. D. LXXXVII.

ORATIO

CVM Dei Optimi Maximi perpetuo, & immortali beneficio, tua ſingulari benignitate, Sereniſsime Princeps, tua ſumma charitate, Illuſtriſ. Antiſtes, ueſtra ſingulari liberalitate, Ciues Parmenſes, factum ſit, vt Patres noſtri feliciter, atque ex animorum ſententia hîc generalia Comitia celebrauerint, æquum eiſdem uiſum fuit, vt cum nihil aliud habeant, quo tantæ meritorum magnitudini re ipſa ſatisfaciant, tamen vel ſe ipſos non immemores demonſtrent, vel ſaltem ità efficiant, vt tantis veſtris in eos meritis tumefactos, illa, vel maiora etiam ſibi debita falſo perſuadiſſe, non exiſtimarentur. Quod ingrati animi vitium ſicut omnino à finibus Religioſorum hominum, & Chriſtianorum arcendum eſt, ità maximæ curæ eis eſſe debuit, vt Dei bonitatem, Principum humanitatem, atq; Populi propenſam in eos voluntatem, & liberalitatem, pietate, obſeruantia, & perpetuæ recordationis ſigno, proſequerentur, admirarentur, & prædicarent: Hoc autem, vt ego perficerem, ideſt agendarum gratiarum munus mihi cum mandauerint Patres hi, quod non potui, nec debui, aliquo modo non recuſaui, imò libenti animo ſuſcepi, quamuis virium mearum imbecillitas in aliam ſententiam me prorſus trahere debuiſſet. Talis enim actio eſt oblata, in qua quod dixero, etiam ſi illud minimum ſit, tamen magnum erit, & iure videbitur. Delectatur namq; animorum gratijs, & internis ſatisfactionibus Deus, Principibus autem innata eſt magnificentia, propria liberalitas, benignitas infuſa,

& quæ

quæ omnes virtutes in principibus, & hominum iudicijs, & publicè laudatæ, iam diuinæ habeantur, nulliusq; mortalis commendatione egere videantur, gratias ergo non deſiderent. Veſtra autem promerita, Ciues Parmenſes, quæ nunc admirati fuerunt hi Patres, & experti, & quibus maiora non viderunt vnquàm, nullam aliam gratiam, nullam aliàm mercedem, præter honorem, & gloriam expoſtulant, qua etiam ſi me dicente carere videbuntur, erunt tamen ſe ipſis contenta, atq; in memoria cunctorum mortalium, & Religioſorum Patrum, & præſentium, & futurorum, tanquàm in luce poſità lætabuntur. Tibi itaq; rerum omnium procreatori, & rectori (vt hinc exordiar) huius Congregationis Patres, hæc gratiarum agendarum ſigna offerunt, quas poſſunt agunt, piè, deuotè, & reuerenter habebunt, vnaq; cum eis habebit tota Chriſtiana Religio, quòd Congregationi noſtræ interfuiſti, claritatis, veritatis, & concordiæ, lumen attuliſti, quodq; concedere dignatus es ad gloriam, & laudem tuam, & ad Carmelitani Ordinis vtilitatem, atq; totius reipublicæ Chriſtianæ maiorem Religionem, ut Comitia hæc noſtra glorioſo exitu ſint prouecta, tanta Parmenſium benignitate ſanctè aſſociata, & piè concomitata, & deuotè eleemoſinis proſecuta. Tu Deus, qui hæc omnia tui cauſſa facta vides, tantam quæſo Populi Parmenſis religionem, tantam probitatem, tantam pietatem in hunc Ordinem Carmelitanum reſpice, illum tueri, amplecti, fouere, & conſeruare digneris, eiq; perpetuam fælicitatem ſub Principibus Farneſijs tribuere, & ſi quicquam in celebrandis Comitijs promeruit hæc Carmelitana Congregatio, id Parmenſium ſaluti, & beneficio adſcribe. Tibi verò Sereniſſimo Principi, tibi Illuſtriſſ. Antiſtiti, vobiſq; Parmenſibus Ciuibus, quid eſt

quo

quo ſatis cumulatè gratias agam, qui tàm piè, tàm religioſè, tàm frequenter nos ornandi cauſſa in ædem hanc noſtram conueniſtis, tàm atentè, & benignè, concionibus, & diſputationibus interfuiſtis, ac quod maximum certè eſt, omni cõmendatione digniſſimum, nullaq; illud delebit obliuio, ità copioſè, ità liberaliter, ità abundè, quæ ad victum, & commoditatem, tantorum Religioſorum neceſſaria erant, ſuppeditaſtis, vt nihil eis defuerit, nihil in vobis requiri, ſeu deſiderari potuerit. Poſſem hoc loco euagari latius Viri Parmenſes, atq; recenſere, hos Patres tàm magnificentiſſimis beneficijs honeſtatos, immortalitatem quamdam adeptos ſibi ipſis videri; illud etiam comprobarem; verùm temporis ratio me breuem expoſcit; hoc non omittam, adeò magnum, adeò immenſum eſſe quod vobis debere Patres noſtri profitentur, vt ipſi ſemper huius Ciuitatis gloriam, & ſplendorem perpetua memoria, crebriq;, & frequenti commemoratione admiraturi ſint. Vos vero Ciues Parmenſes, totam Religionem Carmelitanam vobis ipſis ſempiterna deuotione deditam futuram, perpetuamq; gratiam habituram, pro certo credatis; nunc autem verbis agit, agetq; dum viuet, nàm relaturam ſe nunquam poſſe, fateri non erubeſcit. Tanta fuit veſtrum omnium in hãc religionem benignitas, tanta gratia, & humanitas. Ne autem hoc auribus dictum velim putetis, vera namq; loquor, præſentia predico, quæ viderint nuper Patres hi, & experti ſint, viderim ego, viderint amici noſtri, videritis & vos, quocirca non ſolum teſtes, & ſpectatores, ſed etiam iudices, & buccinatores, & veri non fucati laudatores, vt omnes ſimus, eſt neceſſe. Magna hæc ſunt, & quæ exiſtimationem Ciuitatis veſtræ augere poſſunt, verùm nõ noua, non inuſitata, non incogitata. Cum enim de habendis

comitijs

comitijs Parmæ nunciatum eſt, tanta effuſa gaudio eſt Religio noſtra, Vt ipſæ noſtræ habitationes, Monaſteria ipſa, Parmam Venire velle viderentur. Sed an ſpem noſtram fefelliſtis viri Parmenſes? non ſanè; quam enim Ciuitatem pietate, & Religione florentem, antiquitate glorioſam, nobilitate illuſtrē, ſitu ameniſſimam, liberalitate perſpicuam, celeberrimorum virorum copia, & omnibus rebus quæ Ciuitatem felicem reddere poſſunt, ornatam, refertam, & munitam, Videre ſperabant, talem omnino inuenerunt. Et ità ſanè, Vt Ciuitatem Parmæ nulli ſecundam, ciueſq; Parmenſes ſuomet decore, & ſplendore glorioſos iudicarint; iure meritò quidem viri Parmenſes; Etenim ſi Veſtræ vrbis antiquitatem conſiderare Velimus, eam etiam Reipublicæ Romanæ tempore floruiſſe, & à Romanis ipſis plurimi factam, & Romanorum coloniam, fuiſſe comperiemus. Nam Marco Marcello, & Quinto Fabio, Conſulibus, & Marco Emilio Lepido, Tito Tiburtio Claro, & Lucio Quincio, Criſpino ductoribus, Parmam ampliſſima Romanorum colonia deducta eſt. Si nomen, Verè Parma appellata eſt, cum veluti Parma ideſt clypeus, non tantum Inſubriæ, ſed Italiæ etiam eſſe videatur, vt etiam plurima hiſtoriarum exempla, quæ ſilentio ne ſim longior prætereo, demonſtrant. Si ſitum Vrbis, ſalubritatem aeris, agrorum fertilitatem intueamur, ſita eſt vrbs veſtra quodammodo in Inſubrie vmbilico, non longè ab Appennino, in pulcherrima planitie, in celeberrima Via Aemilia, alluitur præterea inſigni flumine Parma nominato, alijſq; multis publicis fluminibus, Vt Vos optimè noſtis. Priuatis autem, & publicis ædificijs quàm ornatè constructa eſt præſertim verò templis egregijs perbellè ædificatis, quæ veſtram ſummam erga Deum, & cælites pietatem

tatem

tatem demonſtrant. De fælicitate aeris quamuis multa dici poſſent, tamen ſatis ſit quod ſcripſit Plinius recenſere, Veſpaſiani ſcilicet Imperatoris tempore, cum cenſus ageretur, repertos in hac Ciuitate fuiſſe homines, qui ad cẽteſimum, & vigeſimum tertium annum peruenirent. At verò de fertilitate ſi queratis, bone Deus quid eſt quod ad hominum victum, & veſtitum pertineat, quo non ita abundet Ciuitas hæc veſtra, vt & ipſa illis copiosè fruatur, & finitimis regionibus largè ſuppeditet? Certè frumento, vino optimo, et cæteris terræ frugibus, paſcuis, ouibus, armentis, lana, maximè omnium copioſa eſt, quod & Martialis ſcripſit.

Tondet & innumeros Gallica Parma greges,
Et Velleribus primis Apulia Parma ſecundis;

Omitto Villas, lautius edificata prædiola etiã mediocris ciuis, benè & ratione extructa; prætereo amænos, & campis vtiliſſimos riuulos, & aquarum propè innumerabilium copiam; quarũ alteris prædia irrigantur, alteris corporibus medetur. Tacere tamen non poſſum ex multis, nonnulla egregia antiquorum, & recentium virorum Illuſtrium, ac ipſius Ciuitatis facinora, & res preclarè geſtas, tum domi, tum foris, & publicè & priuatim non in literis ſolùm, verùm, & in armis. Nam ſicut Romanorum colonia Parmam deducta eſt (vt paulo antea diximus,) qua ratione & Romæ filia, & eius pars dicatur, & verè fuerit; ſic ſemper ſe matri ſimillimam, & eius gloriæ imitatricem præbuit, eos procreans, & nutriens homines, qui totum orbem terrarum illuſtrarunt, rempublicam chriſtianam cũ maeſtate gubernarunt, & illam in partibus ſuis, cæteris gubernandã tradiderunt; adeò vt Parma nedum filia, ſed altera Roma dicta ſit, hoc eſt mater, & nutrix celeberrimorum, ſanctiſſimorũ,

 & in

& in quaq; virtute doctiſſimorum virorum. Poſſem viri Parmenſes hoc loco orationem meã varijs, & illuſtribus exemplis exornare, quæ hanc veſtram Ciuitatem admirabilem reddunt, & glorioſam efficiunt, atq; recenſere multos ſanctiſſimos homines, multos ſummos Pontifices, multos ampliſſimos Cardinales, multos Archiepiſcopos, quamplurimos Iuriſconſultos, & illos celeberrimos, infinitos penè Poetas, Rhetores, & oĩum liberalium artium innumerabiles profeſſores, artis militaris ſũmos bellatores. Sed ne veſtra nimis abutar audiẽtia, in tam ampliſſimo campo modus quærendus eſt; Vnde excellentiores ex multis aliquos referemus, cæteri verò petãtur ex annalibus, ex hiſtorijs, & ex ſapientum libris. Exordiar igitur Ciuitatem hãc veſtram ædidiſſe Caſſium excellentem Poetam, Macrobiũ de Theodoſijs inſignẽ ſcriptorem, qui illa tam præclara Commentaria ſuper librum de Somno Scipionis, eaq; Saturnalia cõpoſuit; Io. Baptiſtam & ipſum de Theodoſijs, Thomam de Cambiatoribus, qui à Sigiſmundo Imperatore coronatus poeta fuit; Franciſcum Mariam Grapaldum, qui opus illud quod Grapaldina dicitur ſcripſit; Iacobum Cauiccum qui Peregrinum aliaq; opera ædidit; Thadeum Vgoletum qui Calfurnium emẽdauit, qui multa poemata reliquit, quique orator, & poeta celeberrimos dicebatur; Franciſcum Carpeſanum ſuorum temporum hiſtoriarum ſcriptorem, Nicolaum Burreium, Andream Baiardum, Baſſinium de Baſſinijs, Antonium Cornazanum, Franciſcum de Puteo, Danielem Clarium, Bernardinum Dardaniũ, Petrum Antonium Oliuerium, Iacobum Marmitam, Bernardinum Marmitam, Nicolaum Manlium, Ioannem Antonium Pegolottũ præclaros Rhetores & Poetas, Aloyſiũ Borrã, qui ab adoleſcentia ipſa lectu periucunda carmina ſcripſit; om-

mitto

mitto alios, & antiquiores, & qui adhuc viuunt, Academiā tamen illam, nomine innominatorum nominatam, non præterire poſſum, quæ excellentibus ingenijs, & viris omnibus preclaris artibus, & doctrina præditis, referta eſt, quæ veſtram Ciuitatem maxime exornat Ciues Parmenſes, & quæ licet nomine innominato nominari velit, nomen ſuum tamen nominatur ſuper omnia Academiarum nomina, & iam eo vſq; perducta eſt eius gloria, vt ſe ipſam nedum virtuti, ſed etiam immortalitati conſecrarit. Verùm non eſt mihi animus velle hanc celeberrimam Academiam laudibus exornare, tùm quia ex ſe lucet ſatis, & eius commēdatio in excelſo poſita eſt, tùm quia me ad ſe vocat Parma Ciuitas, cupiens me defatigari incipientem longa oratione, commemoratione excellentiſſimorum Medicorum reficere, ac vos Auditores recreare. Itaq; ex familia Anſelmorum proculdubio plures prodiere excellētiſſimi Medici, vt Hyeronimus Anſelmus, Georgius Anſelmus, Bartholomeus Anſelmus alter Galenus hoc tempore habitus & alij. Familia quoq; Ianuenſium nonne & ipſa quamplurimis excellentiſſimis medicis floruit? Cæſaris etiam Delphinij ciuis Parmēſis excellentiſſimiq; medici opera vſi fuere & Imperatores & Pontifices ſcilicet Ferdinandus Imperator, & Pius Quartus Pontifex maximus; Io. Andreas etiam de Blanchis dictus cognomine Albius, quis veſtrum neſciat quanta doctrina, & ſapientia, diu Bononiæ publicè legens docuerit? Fama etiā illuſtris Blaſij Pelacanij celeberrimi Aſtrologi, & Mathematici, ad cuius non peruenit aures? Zacharias Oliuerius in Philoſophia ſapiētiſſimus, quāto honore dignus fuerit, id oſtendit ſepulchrū quod eius corpori maiores veſtri Parmenſes conſtruxerunt. Miſſos facio Lazarum Caſſolam, Io. Martinum Garbatium medicos

excellentiſsimos, quorum memoria publicè in eccleſia ſancti Ioannis Euangeliſtæ commendata eſt. Philippi autem Siluæ, et Scipionis Caſſolæ maximam Medicinæ peritiam, quis eſt veſtrum Ciues Parmenſes qui non ſit admiratus, etiam aliquādo expertus? Iacobum vero Scutellarium, Auguſto Cæſari ità pergratum vt ſcitis, Regibus & Principibus maxime acceptum, quis eſt qui non eum artis medicæ Deum exiſtimet? O felicem Ciuitatem, quis te Delphicam non appellet, aut Appollinis ſedem, ſeu Cleantis nutricē te nō credat? Sed quales habuit, Deus immortalis, Iuriſconſultos Ciuitas hæc veſtra, tales ſanè qui nō humani, & illi omnium ſapientiſsimi, ſed è cælo diuinitus ad publicam vtilitatem demiſsi omnibus ſint viſi. Albertum Galeotum in primis Iuriſconſultum Ciuitas hæc veſtra eddidit, qui & opus illud quod Margharita quæſtionum dicitur compoſuit, & multa alia manuſcripta opera reliquit, quæ nonnulla penès conciuem veſtrum Iuriſconſultum exiſtunt, cū maximo & ipſius, & Ciuitatis ornamento; Bernardū Bottoniū virum diuino fultum ingenio genuit, qui clariſsimus vtriuſq; Iuris Doctor, idemq; ſanctiſsimus, & in Patria mea Bononiæ, Canonicus fuit, & gloſſarum apparatum ad Decretales fecit; Iacobum de Arena peperit etiam veſtra Parma Ciues, qui Commētarijs Codicem tam doctè illuſtrauit; Vberti Bobij magnæ authoritatis Iuriſconſulti nutrix fuit, cuius interpretationes permultas legum Ciuilium penès eundem conciuem veſtrū habetis, cuiuſq; memoria iure ipſi conſtituta columnæ cuidam D. Io. Euangeliſtæ affixa ſe omnium oculis offert; Vgolinum à Fontana celeberrimum Iuriſconſultum, qui ſæpè à Bartholo cæteriſq; Doctoribus commendatur, cuius etiam nonnullæ quæſtiones in publicis gimnaſijs diſputatæ, extant manu ſcriptæ apud eundem cō-

ciuem

ciuem veſtrum. Habuit prӕterea filios Ciuitas hӕc veſtra Iuriſconſultos Vgolinũ Rubeum, & Antonium Bernerium quos vidit, illum Romӕ, hunc & Romӕ, & Mediolani ſenatorẽ, qui multa eruditione, opera in iure ſcripſerunt; ſed deperdita neſcio quo fato, cum maximo legitimӕ ſcientiӕ damno iacent; Philippo Maria inſuper Rubeo, Franciſco Lucanio, Frãcino Caſtiono, Gulielmo Raymundo, clariſſimis Iuriſconſultis, Ciuitas hӕc veſtra gloriata eſt; Necnõ Melchiore Bergõtio eius filio, qui primò rerum capitaliũ Bononiӕ ſummus Auditor, dein de Ducis Ferrariӕ conſiliarius, poſtremò Ducis Petri Aloyſij ſenator, tandem Nouariӕ, Ducis Octauij Farneſij viceſgerens fuit; Paulo Bergontio eius filio nunc Dei gratia viuẽte, qui gubernator Placentiӕ exiſtens, adeò illi populo acceptus fuit, vt ab eo inſtar numinis haberetur; quod & publicis monumentis idem populus teſtatus eſt, marmoreo lapide ſuper Prӕtorij portam poſito; nunc verò ille ipſe Farneſiӕ domus à conſilijs habetur, & verum ſpecimen probitatis & facem iuſtitiӕ, & veritatis, necnon & conſilij, ipſum prӕ cӕteris ferè omnes, nedum exiſtimant, verùm & prӕdicant, & re ipſa perſӕpè experiuntur. Sed cur prӕtereo, Iacobinum Ruffinum, antiquum quidem Iuriſconſultum, & publicè iura Pariſijs ſummis ſtipendijs, & incredibili admiratione docentem? cuius & nonnullas diſputationes, penès eundem conciuem veſtrum, antiquarum rerũ obſeruatorem Iuriſconſultum videre poteſtis. Nolite autem expectare Parmenſes Ciues, vt vobis dicam hunc veſtrum Ciuem, Iuris vtriuſq; ſacerdotem, harum gẽmarum dominũ & conſeruatorem, Theodorum Teſtam eſſe, quamuis enim hoc eſſet maximè neceſſarium, & maiori etiam exiſtimationi horũ virorum, & veſtrӕ Ciuitatis, eſſet futurũ, tamen cũ illum ipſum

ſingu-

ſingulari modeſtia affectum, hoc non æquo animo laturũ intelligam, quæſo Ciues ne hoc potius orationis meæ vitio, quam ingenuæ meæ naturæ tribuatis. Ex familia etiam Zandemaria, ex familia Baiardorum, ex qua etiam nunc Io. Baptiſta, pro Eccleſia Romana ſæpè populos gubernauit, & adhuc gubernat, ex familia Centonum, ex familia Puellorum, ex familia Iunctorum, ex familia Blondorum, ex familia illorũ a Prato, ex familia Cantellorum, ex familia Taliaferrorum, quot Deus immortalis exiere clariſſimi Iuriſconſulti. Quinimò quod & maxima admiratione dignum eſt, primi illi maiores veſtri, ab illo ipſo huius veſtræ Patriæ primordio celeberrimi, clariſſimi, magnæq; exiſtimationis Iuriſconſulti erant, & iuſticiæ oracula habebantur. Nã referente Plutarco cũ Marius & Catullus, Romanorum exercituum Duces, poſt victoriam contra Cymbros habitam, exindè de glorioſo vt moris erat triumphandi actu ſimul contenderent, ad eam tollendam controuerſiam, iuſtiſſimamq; pronuntiandam ſententiam, quatuor Iuriſconſulti Ciues Parmenſes electi fuerunt. Vellem etiam mihi ſuppetere tẽpus, vt Theologos, & Concionatores clariſſimos, qui ab hac Vrbe oriundi fuerunt, celebrare poſſem. Dicerem enim de Antonio Piſano Camaldulorum generali, qualem in Concionando, & diſputando, coram concilio Conſtancienſi famam ſibi adeptus eſt; celebrarẽ Antonium Flauium, Antonium Pupinium, Laurentium Lenaram, Nicolaum de Parma dictum, omnes Religioſos ordinis Predicatorum; predicarem Paulum Piſotũ, totius ordinis ſancti Franciſci miniſtrum generalem, Io. Gineſium de Qualijs, Melchiorem Friciolum, & Salimbenum de Salimbenis, Paulum Pacificum, Vicarium generalem congregationis noſtræ Mantuanæ, Philoſophum profundiſſimum, &

Theo-

Theologum ſapiētiſsimum, Paulum Pulium, & Luciū Rubeū Canonicos Regulares, Ioannem, minorum fratrum generalē, ex nobili Buralorum ſtirpe ſi ſcripturis credamus oriundum, qui multas, ad nonnullos & veteris & noui teſtamenti libros interpretationes fecit, qui ſententiarum quatuor libros, ſuis cōmentarijs illuſtriores reddidit. Quorum virorū commemoratio, etſi Illuſtriſsimam hanc veſtram Ciuitatem eſſe doceat, & omnium literis & memoria predicandam, his finibus tamen, tantæ vrbis veſtræ celſitudo non eſt contenta, quæ & Epiſcopos ferè innumeros, & illos omni veneratione dignos, ad reipublicæ Chriſtianæ regimen emiſit; vt Vgolinum Rubeum, Epiſcopū Parmenſem, Io. Hyeronimum Rubeum, epiſcopum Ticinenſē, Bernardum Rubeum, epiſcopum Taruiſinum, Hyppolitum Rubeum, epiſcopum Ticinenſem, Guidotū Corrigienſem, epiſcopum Mantuanum, Obicium SanVitalliam, epiſcopū Parmenſem, Hyeronimum Pallauicinum, epiſcopum Laudēſem, Antonium Bernerium, epiſcopum Laudenſem, Andream Longum, epiſcopum Galeſij, aliosq; ex alijs familijs, vt ex Garimbertis, Beliardis, Ceratis, Marzochijs. Protulit quoq; patria hæc veſtra, Ciues, multos Archiepiſcopos, qui illam maximè ornarunt, & adminiſtrationem ſibi concreditam ſanctè ſuſtinuerunt, & Archiepiſcopatus dignitatem, ſumma integritate, & vitæ probitate conſeruarunt; vt Mediolani, Frāciſcus cognomento Parmenſis, necnon & Guidus Antonius Arcimboldus; Neapoli, Iacobus Rubeus; Rauenæ, Obicius SanVitallius, & Gibertus Corriggienſis. Sed dic Parma, nonnè etiā filios tuos in ampliſsimum Cardinalium Collegium virtutibus proprijs cooptatos vidiſti? Vidiſti ſanè, hacq; re te ipſam omnium Ciuitatum glorioſiſsimam iuremeritò credidiſti. Vidiſti

in

in primis, Gherardum de Blanchis, à Nicolao Tertio creatum Cardinalem, qui Parmam veniens, multis bonis dotauit Baptiſterium, campanamq; illam adeò magnam, & famoſam, quam vos Baionum dictitatis fieri fecit. Vidiſti etiam Ioannē de Franciſcis, & Gherardum Oldonum, ab Vrbano Quarto Cardinales factos. Vidiſti Ioannem Arcimboldum, à Sixto Quarto in collegium Cardinalium vocatum; Iacobum etiam Regianum, ab Innocentio Sexto ad ſummam Cardinalatus dignitatem euectum; Hyeronimum Corrigienſem, & Petrum Britannium, illum à Iulio Tertio, hunc à Pio Quarto ea dignitate Cardinalitia ornatos vidiſti; Hyppolitum Rubeum, & ipſum nunc viuentem vides, præclaris ſtudijs maximè deditum, & ſacræ ſcripturæ, & Pontificalium legum peritiſſimū, Cardinalem optimum, religioſiſſimum, & ſummo Pontifici, ob morum probitatem, & integritatem acceptum, & maximè charum. Credo etiam Parma te maxime lætari, quòd ſapientiſſimum illum Cardinalem Hyeronimum Bernerium, origine tuum, patria Corrigienſem, religione Dominicanum, Cardinalem nuper creatum, ſumma cum admiratione ſuſpicis; cuius integritas, innocentia, & prudentia, in adminiſtrandis rebus, ſummaq; Philoſophiæ, Theologiæ, & Iuris Pontificij ſcientia, necnon & in diſputationibus, lectionibus, & familiaribus colloquijs, admirabilis ſapientia, eum ad hanc dignitatem iamdiu vocabant, quod tandem cum nunc euenerit, maximè tibi, & vniuerſo orbi lætandum eſt. Vidit Parmenſes Ciues vt ad vos Orationem meam conuertam hæc veſtra Vrbs ſummos Pontifices ſcilicet Honorium Secundum, anteà huius Ciuitatis epiſcopum, tempore Henrici Imperatoris ſummum Pontificem creatum, & Clementem Tertium, qui prius Gibertus de Corrigio

rigio dicebatur Rauēnæq; Ciuitatis Archiepiſcopatum rexit. Viros etiam in Cœlites relatos edidit Ciuitas hæc veſtra; Ioannē ſcilicet primū Abbatē Cœnobij ſancti Ioannis Euangeliſtæ ex familia Corrigienſium; Ioannem illū ex nobili Buralorū familia oriundam, quem inter Theologos etiam retuli; Raymundū de Raymundis, Dominū de Raymundis, viros miræ ſanctitatis ſacerdotes; Virginē etiam caſtiſſimā, ex familia Cantellorū, Simonā de Canna nominatā, & horū quos nouiſſimè recenſui corpora in ecclesia maiori requieſcunt; Bertholdū etiā Britanniū, cuius corpus in Diui Alexandri ecclesia iacet; Vrſolinam Virginem de Ranzis, cuius ſacra oſſa, in ſancti Quintini æde habentur. His verò proximis temporibus noſtris quis veſtrū nō audiuit etiā Ciues Parmenſes de illo Antonio Criminali ſocietatis Ieſu ſacerdote religioſiſſimo? qui cum ad illas mundi regiones, quas Nouas Indias dicimus iuiſſet, ibiq; & doctrina, & ſanctitate claruiſſet, multosq; ad Chriſti fidē ſanctiſſimè vocaſſet, ab illis infidelibus barbaris, pro Chriſti Redemptoris nomine conſtanter martyrium ſuſtinuit. Quot Duces autem, Deus Immortalis, & rerum bellicarum periti, ex hac ciuitate veſtra prodiere, ita me Deus amet vt ferè innumerabiles extant. Et primò Caſſius Centurio antè omnes mihi ſe offert, qui ab ipſo ferè primordio ciuitatis Parmæ, antè Chriſti natiuitatem floruit, vndè & à priſcis ſcriptoribus, perpetuis monumentis eſt celebratus; Callinicum etiam conciuem veſtrū præfuiſſe in exarchatu Rauennæ, antiquitas ſcriptum reliquit; Adalbertus, inſuper Pallauicinus, Manfredus Lupus, Petrus Rolandus, & Marſilius fratres, atque Petrus Maria de Rubeis, hos omnes quis neſciat à Regibus, & Imperatoribus, ob admirabilē fortitudinē, & prudentiā in re militari ſæpè probatā, titulum Marchio-

C natus

natus ſibi, ſuiſque poſteris aliquando promeruiſſe? Non ſecus et Nicolaus Tertius, Ioannes Martinus, & Gibertus San Vitallius, Guidus Torellus, Andreas Valerius, Marcus Ceratus, & ex Rubeis quãplurimi, qui in certaminibus, ſingularem oſtendentes virtutẽ, à ſummis Regibus ſunt Comitatus titulo, & iuriſdictione cohoneſtati. Hîc non reticebo Parmenſes, nonnullos ex veſtris ciuibus ſtrenuis ſanè viris, & fortiſſimis militibus, ità ſeipſos in officio continuiſſe, ità ciuitati conſuluiſſe, eo tẽpore cum Ghibellini, & Guelphi diuerſis, imò contrarijs conſilijs conſpirantes, totã Italiã vexabant, vt nihil aliud conarentur, quàm libertatẽ patriæ, & dignitatẽ ſuis conciuibus tueri; tùm ciuitatẽ incolumẽ conſeruando, tùm alienis ciuitatibus ſeipſos ditando. Horũ aũt in numero, in primis fuit ille Vbertus Pallauicinus, qui & in tota Lõbardia Imperatoris Vicarius fuit, & dominus Mediolani, Placentiæ, Cremonæ, Mantuæ, Cremæ, Ticini, Tortonæ, & Alexandriæ effectus, longiſſimè à patria Parma hoſtium exercitus arcebat. Gibertus autem Corrigiẽſis, quãto & decori, & incolumitati, patriæ fuit, qui & ipſe vices Imperatoris gerens in Lõbardia, ſubiugatis ſibi Regienſibus, Mutinenſibus, Carpenſibus, Placentinis, Cremonẽſibus, & Guaſtalenſibus, & alijs Populis, eoſdemq; incredibili ipſius fide, & magnanimitate, libertate donans, pater nedũ patriæ, ſed totius Lõbardiæ, & libertatis auctor, eſt publicè priuatimq; nuncupatus. Iungatis his ſi libet (Ciues Parmenſes, Petrũ Rolandũ, & Marſiliũ Rubeos, qui deuictis multis Ciuitatibus, & eorũ dominio potitis, ità ſe ad ſalutẽ patriæ accõmodarunt, vt nulla tàm barbara, tàm remota, tàm longinqua natio fuerit, ad quã tantæ fidei horũ bellatorũ, & fælicitatis veſtræ fama, non peruenerit; nulla tã ſurda poſteritas, quæ integræ fidei

Parmenſes oẽs horũ exẽplo non exiſtimet ſolũ, verũ & admire tur, exornet, & prædicet. Ommitto Quiricũ SanVitalliũ, vnà cũ Rubeis Dominũ Mantuæ electũ, oẽs ſuas cogitationes, & conſilia, ad ſalutẽ patriæ contuliſſe. Othonẽ Tertiũ potentiſſimũ, & ampliſſima iuriſdictione ditatũ, permultos alioſq; veſtros Ciues gloria ne minimũ quidẽ ſuperioribus enumeratis cedẽtes cõſultò prætereo. Quicquid dictũ eſt nõ ad ſatietatẽ dictũ putetis, ſed eò tendit Oratio mea, vt oẽs intelligant illud verũ eſſe, quod de Illuſtriſsimis huius Ciuitatis familijs, et Volateranus, et Blõdus, & cæteri ſcripſere literatiſſimi viri, in hæc fermè verba.

" Quatuor ipſa Vrbs ornata eſt magnatũ familijs am-
" pliſſimis, eius agri oppida fermè omnia ditione tenẽ-
" tibus, magnumq; alentibus equitatũ Roſcijs, Corri-
" gienſibus, Pallauicinis, ac Vitalenſibus, qui cum vni
" Domino parent, & Lombardiæ aditum, & ipſam cu-
" ſtodiũt Ciuitatem; Cum verò quicquã in Prouincia,
" aut inter ſe ipſos, acciderit diſturbij, diuiſos ſecũ qua-
" drifariã Ciues, & oẽm Prouinciã, motibus inuoluũt.

Non ſolum igitur Illuſtriſsimæ fuerunt ſemper & patriæ fideliſsimæ hæ familiæ, ſed etiam potentiſſimæ, quippe quæ ſingulæ illæ ipſæ è veſtigio, exercitũ florentẽ conficere poterant, prout in bellis Ciuilibus perſæpè fecerunt, cũ maximo tuo Parma exitio. Ex quibus etiã quot prodiere fortiſsimi, prudentiſsimi, ſapientiſſimi, ſummis Regibus, Imperatoribus, & maximis Pontificibus grati Heroes; vt ex Rubeis, Rolandus, Vgo, Bernardus, Iacobinus, Vgolinus, Gulielmus, Petrus, Marſilius, Beltrãdus, Petrus Maria, Guidus, Troilus, Iulius, Hector, Ferrãtes, Camillus & alij. Ex Corrigijs, Gibertus, Conradus, Mattheus, Gherardus, Iacobus, Guidus, & alij. Ex Pallauicinis,

*Adalbertus, Vbertus, Vbertinus, Guilielmus, Mãfredus, Ni-
colaus, Rolandus, Alexander, Galeatius, Antonius Maria,
Sfortia, & alij. Ex SanVitallijs, Vgo, Ioannes, Obicius, Giber-
tus, Antonius, Iacobus, Alphonſus, Petrus, Brunorius, Quiri-
cus, Franciſcus, Federicus, Octauius, Carolus, Romanæ aulæ
nunc viuens ſplendor & ornamentũ Abbas, & alij, qui in
certaminibus, & bellis, ſemper glorioſiſsimi euadebant; qui pro
Imperatoria dignitate ſummis legationibus integerrimè fungè-
bant; quique & vrbes, & Prouincias, tam admirabili conſi-
lio, prudentia, & prouidentia, rexerunt; vt eorũ præclaris ge-
ſtis plenæ ſint oĩum hiſtoriæ, pleni oĩum ſapientũ libri. Sed bone
Deus quid recenſere moror. Illuſtriſsimas ſuperioribus ſi nõ ma
iores, tamẽ pares familias, Torrellos ſcilicet, Lupos, Tertios, Sã-
ſeuerinos, Rangonos, Valerios, Simonetas? ex quibus infiniti fe
rè homines præclariſsimi orti ſunt, vt ex Torrellis, Chriſtopho-
rus, Guidus, Iacobus, Marſilius, Franciſcus, Marcus Anto-
nius, Amurranus, Adrianus, et quem quotidiè, ſingulari prudẽ-
tia, doctrina, rerũ bellicarũ peritia, in rebus adminiſtrandis, &
negotijs tractandis, incredibili fide præditũ vidiſtis, & ex ſuis
Liricis Poematibus eũ Muſarũ chariſsimũ alumnũ admirati
eſtis, videtis & nunc, & admiramini Comes ille videlicet
Põponius Illuſtriſsimus. Ex Lupis, Bonifacius, Antonius, Ray-
mundus, Vgulotus, & alij poſteri. Ex Tertijs, Nicolaus, Giber-
tus, Gherardus, & Otho. Ex Sanſeuerinis, Ambroſius, Galea-
tius, Io. Franciſcus, & illi duo principes Salerni, Robertus, &
Ferdinandus, & multi Duces, vt Alphonſus, Dux Summæ,
Vinciſlaus Dux Venusij, Antonius Dux Sancti Marci, Frã-
ciſcus Dux Scalæ, alijq; Principes, & tot Cardinales, Federi-
cus Summus Pontifex a Gallis in ſciſmatè creatus, Infiniti in-*

nume-

*numerabilium propè locorū Comites, & Marchiones, & Su-
perſtès adhuc Religioſiſſima illa Virgo Illuſtriſſima Anna Ia-
lia, quæ profeſſa, vt dicitur in monaſterio Monialium Sancti
Auguſtini, huius Ciuitatis, ità ſanctè, ità religioſe ſe gerit, ità
excellenter grauitatem, & nobilitatem ſanguinis, cum humili-
tate quam profitetur coniungit, vt eā non mulierē, ſpecimē Vir-
ginitatis, religionis, et probitatis, quis iudicet, ſed ſydus quoddā
fulgentiſſimū è cælo ad Illuſtrandas has inferiores partes emiſ-
ſum, oēs exiſtiment. Prætermitto ex Rangona familia multos,
ex Valeria infinitos, ex Simoneta quamplures, quorū egregia
facinora, ad immortalitatē iam ſunt conſecrata. Nimis etiā in
longum mea protraheretur oratio ſi oēs clariſſimos viros ex no-
bilibus familijs huius ciuitatis æditos cōmemorare vellē, vt ex
familia Smeralda, Garimberta, Cornazana, Zobola, Oliue-
ria, Illa da Porta, illa de Henzola, Aldigeria, Baldichina, Vi-
cedomina, Benata, Braua, Tagliaſerria, Bergontia, Baiarda,
Belliarda, Cerata, Burala, Roſia, Marzochia, Longa, Caual-
ca, Caſſolia, Palmia, Acurſia, Burſia, Lalatia, Scutellaria,
Boſſellia, Succia, & ex alijs. Dicere poſſem, quòd Imperator
Henricus, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi coronatus, in eadē
ſua coronatione, inter multos equites quos creauit, & Lanfran-
cū illū Garimbertū, virū ſtrenuū, equitem creauit, eumque ſuū
proregē Parmā miſit, vt hîc ſuā vicē gereret. Afferrem quòd
Imperator Federicus veniēs Parmā, poſt ſuā coronationē mul-
tos hîc equites procreauit. Adducerem quòd Carolus Quintus,
nobilē illum virum, Bapt. Succiū, Comitē Palatinum, equitē-
que auratum creauit, eique et ſuis oībus poſteris illuſtre quidem
inſigne cōceßit, Sed vereor ne vos mea dicendi prolixitate de-
fatigem. Quarè & tot alios intrepidos, & fortiſſimos milites*

prætereo, qui nunquã in certaminibus ſuccũbebant, neque terga dabant, vt non ab re Poeta ille, Parmã armigerã dicere, belliſoſam, & Martiam, non dubitauerit illis Carminibus.

Mater ab armigeræ demiſſa propagine Parmæ,

Bellicoſa

Te Martia Parma ac Tarenſe ſplum.

Ad veſtrã aũt religionẽ, atque erga Deum, & cælites pietatẽ cõtemplandã venio; Quã in hac ciuitate ſummã ſemper fuiſſe, et eſſe conſtat, & quã apertiſſime demonſtrant, tum egregia tẽpla, & loca ſacra, quæ in hac vrbe, magno ſumptu, multaque arte conſtructa, & ornata nitent, tum Xenodochia diligẽter, & piè cuſtodita, & ſeruata. Patefacit veſtra non vulgaris in egẽtes, & pauperes liberalitas, & in viros religioſos obſeruantia, ac proximè veſtra erga hæc noſtra comitia charitas. Quæ religio ſicut ſemper huius Ciuitatis propria fuit, ita mihi ſe offerre videtur latiſſimus campus eã præcipuè cõmendandi. Veruntamen cũ breuitatis ſtudeã, vnum vel duo, maxima admiratione digna facinora, à veſtris maioribus, pro eccleſia Catholica, et pro Dei gloria facta proferre, ex multis ſat eſſe exiſtimo. Hæc autem erunt; Cum Parmenſes ciues, vt apoſtolicæ Sedis ſtudioſi fautores, & ſectatores, à Federico Secundo Imperatore, grauiſſima obſidione premerentur, ita in officio ſteterunt, vt potius quàm à Romano Pontifice deficerẽt, & ſede apoſtolicã deſererent, bienniũ conſtãtiſſime obſidionẽ paſſi fuerint, & diutius paſſuri fuiſſent niſi oblata occaſione præclara, ſtrenuè Imperatorẽ expuliſſent, & glorioſam victoriã de eo conſequuti fuiſſent. Quod Illuſtre facinus, quis non aureis literis ſcribendum cenſeat? Cum et anno Milleſimo, trecenteſimo, quadrageſimo ſecundo; vigeſima ſecunda die Maij, Populus Parmenſis eſſet à Tirannide

Ma-

Maſtini de Scala liberatus, omni lætitia, & gaudio perfuſus, ad S. Sepulchri ædē, cū maxima eleemoſinarū copia, & ingēti pietate, ſe contulit, vt ibi Deū in electo ſancto ſuo Bonio, cuius feſtiuitas illo die celebrabatur, laudarent, magnificarent, & ei gratias agerent. Quin & quotannis exinde ea ſolemnitas fieri conſueuerat; Vxor tamen Barnabouis Vicecomitis, Mediolani Ducis, & Domini Parmæ, filiaque prædicti Maſtini, cū audiret, feſtū hoc fieri in memoriā expulſionis patris ſui, amplius illud non fieri mandauit. Mira ſane, populi religio, quæ accepti beneficij gratiā, perpetua memoria Deo in eius ſancto reddēdā, tam piè adiudicauit. Et profectò Populi Parmenſis religionem, Deo fuiſſe acceptam, experientia aliquando comprobatum eſt. Nā in eccleſia fratrū noſtrorū de Carmelo, quis ignorat, imaginē intemeratæ, ſēperq; V. M. Dei Noſtri ſanctiſsimæ matris, multa miracula feciſſe, mortuos ad vitā reuocaſſe, contractos ad ſanitatē reduxiſſe, claudos rectos feciſſe, & cæcos illuminaſſe, adeò vt è regione tunc aucta, ſic fuerit hæc eccleſia, vt nunc oculis conſpici poteſt. O igitur & Illuſtrē, & religioſā Ciuitatē. Quid mirandum ſi Ciuitatē tàm Illuſtrē, tàmque religioſam, ſummis Regibus, & Imperatoribus placuit honoribus augere, vt verè auxerunt? Imperator. n. Otho Quartus, Parmæ concilium celebrari curauit; Ioannes Bohemiæ Rex, Henrici Imperatoris filius, diutius Parmæ habitauit; Reges etiam vt hiſtoriæ narrant hîc coronati fuerunt. Quare nedùm Illuſtrem, & religioſam, verùm & regiam eſſe vrbem hanc veſtram, mihi Ciues Parmenſes fatendum eſt. Hinc & ego diuinitus eſſe factū puto, vt huic regiæ Ciuitati, Regij, Imperatorij, Pontificijque Principes, Summi ſcilicet, potentiſſimique Farneſij Duces, cōſtituti fuerint; Quorum nomē, & gloria, longè, lateque per orbē

diffun-

*diffunditur, & manat. Te fælicẽ, Te fortunatã, Te beatã Ciui-
tatẽ, quæ à Ducibus non inferioribus alijs, nobilitate, poteſtia ar-
morũ, rerũ bellicarũ gloria, Iuſtitiæ laude, & reliquis oĩbus he
roicis virtutibus, gubernata es, & gubernaris. Vere lætiſsimũ,
iucundiſsimũ, & perpetua memoria digniſsimũ, eũ diẽ dicere
poteſtis viri Parmenſes, quo ſummus ille Pontifex Paulus Ter
tius Farneſius, quem veſtræ Ciuitatis Cardinalẽ epiſcopum ha
bueratis, vos à Romanis oriundos ſciẽs, voſque dignos, qui poſte
ros ſuos Romanos Principes haberetis existimãs, eos vobis præ-
fecit, & Principes dedit, Et tales, qui cõmodorum ſuorũ obliti,
ad publicã vtilitatẽ, oẽs ſuas cogitationes conuerterent. Ego cer
tiſsime credo, ciuitas Parmenſis, quòd cũ multis alijs noĩbus
te fælicẽ teneas, hoc præcipue quòd Farnesijs ſis ſubiecta, te fæli
ciſsimã eſſe tibi ipſi perſuadeas. Etenim vt alios ſuperiores Far
neſios ommittã, & præſertim Octauiũ Farneſiũ, quẽ Ducem,
ſiue potius patrẽ veſtrum, Ciues, mortuũ vidiſtis, & cum eo iu
ſtitiã, religionem, benignitatem extinctã eſſe doluiſtis; cuiuſque
facta Illuſtria, & præclara, non ornatiſsimã orationẽ ſolũ, ve-
rũmetiã ampliſsimũ volumen requirerẽt. Quid eſt in Principe
deſideratũ, quod in Sereniſsimo Alexandro Farneſio cumula-
tiſsime non reperiatur? O fælicẽ ætatẽ noſtrã, quæ tantũ Heroẽ
videt; O fortunatã Parmã, quæ inuictiſsimũ Ducem habet; O
florentẽ Chriſtianã religionẽ, quæ tanto defenſore à Deo donata
eſt; O maxime lætum Philippum Regẽ, qui talẽ exercitus Impe
ratorẽ elegit; Qui non modò eorũ virorum Illuſtrium qui nunc
ſunt, gloriã longe ſuperat, ſed etiã antiquorum, vel præſtantiſsi
morum memoriã virtute, & rebus præclarè geſtis aſſequitur.
Etenim oĩbus rebus quæ in exercitus Imperatore requiruntur
maximo floret; ideſt eximia ſcientia rei militaris, ſingulari vir-*

 tute,

tute, magna auctoritate, egregia fœlicitate, quæ quatuor res in Summo Duce ineſſe videntur oportere. Nam res pclaræ ab eo geſtæ, & præcipuè in nauali illo in perpetuum memorabili bello, quo apud Lepantum, Turcarum claſsis à Ducibus Chriſtianis ſuperata fuit, qua in re oīum ſententia, non infimum ne dicam ſummum, militaris rationis, & fortitudinis locum, inter fortiſsimos oēs adhuc adoleſceus obtinuit; in Flandria verò ab eo, perpetua commemoratione, celebratione, & imitatione facta; apertiſsimè nullam rem eſſe declarant, in vſu militari poſitam, quæ huius Principis ſcientiā fugere poſsit. Potiſsimum autem id cognitum, & perſpectum fuit, cum Traiectum arcem munitiſsimam, & inexpugnabilem habitam, miro ingenio, incredibiliq; arte, expugnauit; ac cum Gandauium, Summi Imperatoris Caroli Quinti patriam ſubegit; Quòd ille ipſe Carolus Quintus, lōgiſsima obſidione, & florentiſsimo exercitu, quàmuis maximè cuperet, nunquàm obtinere potuerat; ac cum Antuerpiam opulentiſsimam, florentiſsimam, & fortiſsimam, & cum quauis Europæ vrbe comparandam, & non modò à Ciuibus ipſis ſtrenuis, & multis, verùmetiam ab Anglis, Zelandis, Batauis, & alijs pluribus aduenis, diligentiſsimè cuſtoditam, ad deditionem compulit; Militum, Architectorum, & Ducum, obſidionem minimè probantium, ſpem, ingenium, & conſilium, longè ſuperans, & toti terrarum orbi, tàm illuſtre, tàm excellens, tàm glorioſum factum admiranti demonſtrans, ſe ſolum militarem diſciplinam habere, ſe ſolum Caroli Quinti Imperatoris auunculi ſui virtutem, & conſequendæ victoriæ rationem tenere, ſe ſolum dignum eſſe qui ampliſsimis exercitibus imperet, qui grauiſsima, & maximi momenti bella gerat, qui ab omnibus, ſempiternis, & immortalibus laudibus exornetur. Iam

verò eius virtuti, quæ poterit par Oratio inueniri? non enim illæ in eo ſunt ſolæ virtutes Imperatoriæ, labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo; quæ tanta in hoc vno ſunt, quanta in reliquis omnibus Imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt vnquàm; Verùmetiam grauiſsimæ artes, miniſtræ, comiteſq; virtutis, ſumma innocentia, temperantia, fides, facilitas, ingenium, & humanitas; quibus quidem non immeritò confiſæ multæ arces, & vrbes, quæ ab alijs Ducibus expugnari non potuerant, vltro ſe huic dederunt, vt Tornacum, Gaueram, Duncherchum, Neoportum, Louanium, Melinem feciſſe audiuimus, quibus etiam factum eſt, vt Traiecti incolis quamuis profugis, & victis, & maximis ſuplicijs dignis, humaniſsime pepercerit; ac cum Antuerpiæ Ciuibus, & alijs populis, multò mitius, multoq; lenius, quàm promeriti eſſent egerit; atq; vt cum exercitum habeat, varijs, & inter ſe natura, moribus, ingenio, pugnantibus gentibus, Hyſpanis, Italis, Germanis, & alijs conflatum, mirum ſit, id ab eo conſequi, quod Annibali, & Beliſſario, magnæ laudi tribuebatur, vt eum ſcilicet exercitum pacatiſsimum, & concordem, & coniunctiſsimum reddat, eundemq; in officio contineat. Auctoritas verò quæ multum in bellis adminiſtrandis, & in Imperio militari valet, tanta in eo eſt, vt non modò potentiſsimus, Rexq; omnium Regum Maximus Philippus, eum plurimi faciat, & omnibus præponat, & ei tantam auctoritatem, quantam nemini vnquàm tribuat, virique multi & Duces excellentes, eum ſtudiosè colant, & obſeruent, verùmetiam hoſtes ipſi valde admirentur, & audito eius nomine contremiſcant. Reliquum eſt vt de eius fælicitate pauca dicamus. Verè ſummam

mam fælicitatem in hoc Duce eſſe dicere poſſumus, qui bellico-ſiſsimas, & apud omnes gentes maximè formidabiles nationes, ità facilè, ità fæliciter, ità breui tempore ſubegerit, & domuerit. Cum tamen, vt omnibus notum eſt, plures præſtantiſsimi Duces, nempè Ioannes Auſtriacus, Dux Albæ, & alij, huic tamen vt rerum exitus apertiſsimè declarauit, minimè pares, maximo belli apparatu, ampliſsimo exercitu, & multo tempore, ne minimam quidem illarum Regionum partem, in poteſtatem redigere potuerint; Ipſe verò, præter ſuperiores arces, vrbes, & hoſtes, Hannoniam etiam, Ipram, Brugam, Audenardam, Bruxellam, & proximè æſtate elapſa Deuenter, vt dicunt, Nimegam, Zutſen, Nus, Venelò, Graui, Terramondam, Beradam, aliaq; innumerabilia loca, ac Regiones, admirabili celeritate, non magnis copijs, neq; mul is militaribus inſtrumentis, ceperit, expugnauerit, ſubegerit, ac potentiſsimorũ Principum, vt Orangis impetum, & numeroſum exercitum, frenauerit, & vicerit; Anglorum copias ſuperbè, & crudeliter irruentes, repreſſerit, & deleuerit; Plurimorum Gallorum arrogantiam & ferocitatem, ſæpè fortiter, & fæliciter cohibuerit, & extinxerit; ità vt nunquam auſi poſteà fuerint cum eo congredi, nunquàm ſe contra eum erigere, nunquàm ex Gallia in Flandriam pugnandi cauſa redire. O ſcientiſsimum rei militaris; O maximè omnium virtute præditum; O auctoritate, & fælicitate florentiſsimum Ducem, quemque verè omnibus ſuperiorum temporum Ducibus anteponere, & cum antiquis ipſis, præſertim cum Alexandro Magno proculdubiò comparare poſſumus, cuius quidem Illuſtre nõmen, ſibi nõ immeritò impoſitum eſſe demonſtrat, & facta imitatur, & aſſequitur; & ſi diutius viuet, (vt Deus velle vi-

detur, qui eum etiam in medijs ſæpè hoſtibus repertum, grauibus vulneribus affectum, ac tormentis bellicis dedita opera petitum, ſeruauit,) profectò Alexandrum antecellet, ac Chriſtianæ Religionis acerrimos hoſtes, & inimica monſtra delebit, & ſuper Garamantas, & Indos, proferet Imperiũ. Quamuis eum iam Alexandro Magno præſtare dicere poſsimus, cũ Magnus ille Alexander, nunquàm vt hic noſter Alexãder Maximus, cum populis tàm pertinacibus, tàm feris, tàm crudelibus, tàm ad prælia exercitatis, tàm admirandis inſtrumentis bellicis, armis, & munitiſsimis vrbibus inſtructis, pugnauerit; neq; in tanta temporum, hominum, ac præliorum, mutata ratione, & varietate verſatus fuerit, ſed cum gentibus rudibus, & rerum militarium imperitis, ac quodammodò inermibus contenderit. Religione tamen, & pietate, Alexandro, & cæteris Ducibus, longè præſtat. Nam cum grauiſsimis belli moleſtijs aſsiduè prematur, & adminiſtrandæ rei militaris occupationibus deſtineatur, tamen Dei cultum, & religionem nullo modo intermittit; ſed ipſum præ oculis ſemper habet, & Ducem, & auctorem, conſiliorum, & factorum ſuorum fatetur; ità vt in hoc genere Dauidi ſimilem eum eſſe nobis dicere liceat. Sed quoniã huius Orationis difficile eſſet, ſi dicere pergerem exitum inuenire, modum dicendi faciam, ſi quid tamen de alio Alexandro Farneſio nunquàm ſatis laudato viro, Cardinali ampliſsimo, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellario, & Decano dixero. Quandò, viri Parmenſes, veſtra fælicitas, & gloria, magna ex parte ab eo proficiſcitur. Non quia laus ſempiterna illius, & fama illuſtris, vllo modo commemoratione egere videatur, ſed ne tantum Cardinalem ſilentio prætereamus. Magna ſunt omnia, & mirabilia nimis, quæ Pontifex ille Summus Paulus

Tertius

Tertius Farneſius fecit, ſed nihil poſt hominum memoriam glorioſius, nihil præſtantius, quàm quia Alexandrum illum, firmiſſimum Eccleſiæ propugnaculum, Cardinalem creauit; qui veluti clariſſimum, bonitatis, integritatis, & religionis lumen, in totius terrarum orbis conſpectu ſemper eluxit; & poſt Summos Pontifices prima loca in Eccleſia Dei, & dignitatis, & prudentiæ, temperantiæ, pietatis, & omnium virtutum obtinuit; & cæteris Cardinalibus, maximo rerum vſu, plurimis rebus optimè pro ſancta Sede Apoſtolica, & Dei Eccleſia, aßiduè geſtis antecelluit; quaſquè hîc commemorare ſuperuacaneum eſſe puto. Quis vnquam quæſo Cardinalis, viri Parmenſes, Summis Pontificibus gratior, & iucundior? quis apud Summos Reges, & Principes, gratioſior, & potentior? quis ſummis, medijs, infimis, admirabilior, & veneratione dignior? Certè tantus eſt, ac talis, vt non immeritò primum poſt Summos Pontifices locum habeat; & non modò ab Italis, ſed etiam ab omnibus exteris nationibus, quin etiam ab ipſis Regibus, ſtudioſiſſimè colatur, & obſeruetur, ac laudibus ornetur. Vox & latera me deficerent, ſi eius facta illuſtria verbis perſequi vellem, nec finem vnquàm dicendi facerem. Quamobrem ò verè fœlices Parmenſes, & quibuſuis alijs populis, ſi non ſuperiores, at ſaltem pares, antiquitate, ſitu, aeris ſalubritate, agrorum fertilitate, rebus præclarè geſtis, viris illuſtribus, religione, omnibus deniquè optimis rebus. O verè fœlices Parmenſes, qui amiſſo Octauio Farneſio, ampliſſimum Cardinalem tanquàm patrem, & protectorem habent; qui Sereniſſimum Ducem tanquàm vrbis ſuæ murum, & ante murale tenent. O verè fœlices Parmenſes, qui ſub oculis Illuſtriſſimi ſapientiſſimi, vigilantiſſimiq; Paſtoris Farneſij, & viuunt, & requieſcunt, eius vberrimis

paſcuis doctrinæ, & ſacramentorum aluntur, & creſcunt; tutiſsimiq; ſi volunt ab Infernalium luporum faucibus eſſe poſſunt. O fœliciſsimos Parmenſes qui Sereniſsimum ſuum Principem adoleſcentem, oculis proprijs aſpiciunt, & vident, illius preſentia fruuntur, eius morum comitatem, ſermoniſq; grauitatem admirantur, de illius prudentia, & reſponſis ſtupent. De quo quidem quid eſt quod dicam? cum omnes Principes adoleſcentes, ingenio, optima indolè, æquitate, iuſtitia, clementia, benignitate, humanitate, liberalitate, & reliquis omnibus virtutibus, longè ſuperet; cum etiam in adminiſtrandis rebus, ità ſe gerat, vt certam ſpem afferat ſe populos rectiſsimè gubernaturum; cumq; nullo modo Auo, Patruo, & Patri ſuo quantum ex ætate, & moribus, & actionibus conſpici poteſt, diſsimilis futurus ſit. Gratulor vobis, vereq; gratulor, viri Parmenſes, de tanto adoleſcente Principe, vellemq; aliquid temporis habere, licereq; mihi abſq; adulationis ſuſpitione, vt in eius laudum campum excurrere poſſem. Atque etiam de præſtantiſsimo, omniq; laude digniſsimo, eius fratre amantiſsimo, nonnihil in oratione mea ponerem, quando is omniũ opinionem, cogitationem, atq; ætatem ſuam & ſeipſum vincit; quando eſt omnibus ingenuis artibus, & ſingulari in homines humanitate, & ſumma erga Deum religione, & pietate præditus; quandò probitatis, innocentiæ, prudentiæ, temperantiæ, reliquarumq; omnium virtutum, ſpectatiſsimi patrui ſui Cardinalis, effigies, & ſimulacrum eſſe videtur; quandò ipſa vniuerſa Roma in illius aſpectu non poteſt non lætari, non eum venerari, non eum amore proſequi, non ei perpetuam fœlicitatem deprecari. Plura ſanè dicerem, Ciues Parmenſes, verùm iam fœlici aura benignitatis veſtræ, prouecta in altum oratio mea, gratum etiam portum

vt

vt iam inueniat æquum eſſe crediderim; Quæretis tamen fortaſſe, quid ſit quòd cum etiam celeberrimis Pictoribus, quorum opera maximo ſunt in precio, Vt Franciſco, & Hyeronimo Muzzolis, floruerit ciuitas hæc veſtra; oculatiſsimis etiam architectis, vt Ioanne Franciſco Teſta, adhuc in vltimo ſenio Viuente, tàm in bello Vngariæ Ferdinando Regi charo, muneribus maximis ab ipſo donato, Paulo Farneſio Tertio maximè accepto, Petro Aloyſio familiari, cæteriſque Farneſijs ob eius ſingularem prudentiam, & maximum ingenium, & vobis probato; tamen eos tacitè admirari contentus, ad ornamentum, & decorem ciuitatis veſtræ non retulerim. Atque cum oßibus præſtantiſsimorum muſicorum, & toto orbe notiſsimorum Virorum ſit decorata, Cypriani ſcilicet Rore, & Fabricij Dentij, & ad præſens, domicilio cæleſtis illius Viri, non humanè ſed angelicè modulantis, Claudij Merulæ à Corrigio maximè ſuperba ſit, eoque omnibus alijs vrbibus inuidiam facilè gignere poßit, tamen ne Verbum quidem dixerim. Iuſtè quæretis Ciues, horũ enim Virorũ cõmemoratio Ciuitatis ueſtræ famam, & honorem auget. Sed agam Vobiſcum familiariter, prout mihi concedere Videmini; dicamque perdifficile eſſe omnia hæc vnica oratione complecti; præſertim mihi, qui non hoc animo huc acceßi, Vt omnes huius Veſtræ vrbis res præclaras, vel omnes celeberrimos viros, vel Illuſtres familias celebrarem, impoßibile.n. mihi exiſtimo in huius Ciuitatis laudibus perfectè verſari; ſed eò tetendit oratio mea, vt nonnullas ex multis huius Veſtræ patriæ laudes referens, illius gloriam, & fælicitatem, quæ erat virium mearum imbecillitas, ſi non ad Viuum depingere, at ſaltem adumbrare poſſem. Te Deus Præpotens omnium rerum effector, atq; molitor, ſummis præcibus

oramus;

oramus, & ciuitatem hanc tuæ maximè deditam religioni, & cultui, atque Alexandrum Ampliſsimum Cardinalem, Alexandrum Sereniſsimum Ducem; Rainutium Sereniſsimum Principem, Eduardum Excellentiſsimum Principis Fratrem, Ferdinandum Illuſtriſsimum Præſulem, reliquoſque Illuſtriſsimos Farneſios, te ſumma cum veneratione colentes, & orbem terrarum ſingularibus beneficijs afficientes, & glorioſis factis illuſtrantes, perpetuo tutari, & conſeruare tibi placeat.

Dicebam.

Z
1033:25

99956660

103825